



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 28. Jacobus Siciliae Rex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

arcem quandam, cui a S. Gregorio no-
men erat, ad Astacensem seu Comidia-
num Bithyniæ sinum positam relegavit
exulum sustentationi nequaquam provi-
dens. Illic inclusos servabant Galli,
quibus prætoriæ cohortis Dux quidam
præerat.

Sæcul. XIII.
A.C. 1286.

§. XXVIII.

Jacobus Siciliae Rex.

Novus Siciliae Rex Jacobus Arrago-
nius ex vi testamenti patris coronan-
dum se curavit anniversario lustratæ Vir-
ginis die 2 Febr. 1286. Ceremonia fie-
bat Panormi coram cunctis Proceribus,
& Sicularum urbium Oratoribus univer-
sis. Papa Honorius, antequam id co-
gnoverat, eodem anno die Coenæ domi-
nicæ 11 Aprilis anathemate devinctos
denunciavit Jacobum & matrem ejus
Constantiam tanquam foventes augen-
tesque Siciliae seditionem, atque intra
diem Ascendentis in coelum Domini ex
illa egredi jussit. Deinde impositam Ja-
cobo coronam audiens iteravit anathe-
ma; ceremoniam declaravit nullam, ne-
que inaugurationem, sed rem abominan-
dam esse; loca omnia, ubi Jacobus Ar-
ragonius ageret, interdicto affecit: duos
Episcopos Cephalædanum in Sicilia, &
Neocastrensem in Calabria coram se

Nic. Special.

l. 2. n. 9.

Rayn. n. 6.

Id. n. 6.

n. 8.

Sæcul XIII.
A. C. 1286.

comparere intra festum Sanctorum Omnium diem voluit, quod Jacobum coronassent. Hæc sunt, quæ continet diploma die Ascensus Domini 3 Maji Romæ promulgatum. Et quia neque Rex neque duo Episcopi obedierant, Papa interrogatas eis censuras die dedicatæ S. Petri basilicæ 18 Novembris confirmavit ac repetiit; sed sine fructu iterum.

§. 9.

§. XXIX.

Alphonfus Rex Arragonum.

§. 10. II.

Contrario Jacobi fratrem Alphonsum novum Arragoniæ Regem flectebant censuræ pontificiæ, aut potius metus Gallorum pro Carolo Valesio militantium, ut eum in possessionem regni Arragonii mitterent. Papæ proin & Cardinalibus scripsit Alphonfus excusans se, quod mortuo Rege Petro patre suo non misisset Romam Legatos; quos vero tunc mitteret, nempe intra verum jejunium hujus anni 1286. Igitur Papa die Coenæ dominicæ declaravit se inceptum contra eum iudicium usque ad festum Ascensionis Domini suspendere. Prorogavit postea diem, & comparentibus Legatis fidei publicæ testes litteras ad liberum reditum tradebat. Alphonfus tamen excusationes non accepit; nec desistit tueri Carolum Valesium. Contra